



Theses pneumatologicae de intellectu Dei

Georg Otho (praes.)
Johann Werner Reutel (resp.)

Marburg: Stanno Kursnfrano, 1711

Private Collection

http://www.juniusinstitute.org/sources/OthoG_disp_1711/

Terms and conditions

This PDF may be used for non-commercial research and private purposes according to the Creative Commons Attribution-NonCommercial-NoDerivs 3.0 Unported License. Redistribution is permitted provided that these terms and conditions remain as part of the PDF file. For further questions, contact info@juniusinstitute.org.



The Junius Institute

The Junius Institute for Digital Reformation Research of Calvin Theological Seminary is a forum for the promotion of research into the Reformation and post-Reformation eras, particularly through the use and development of digital tools and sources.

<http://www.juniusinstitute.org>

THESES PNEUMATOLOGICÆ,
DE
INTELLECTU DEI,

Quas
Adspirante Divini Numinis gratia

Ex benevolo suffragio ac decreto
Venerandæ, Excellentissimæ & Celeberrimæ
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN ALMA HAC MARBURGENSI,
PRÆSIDE

VIRO *Admodum Reverendo atque Clarissimo,*
D. GEORG. OTHONE,

Philosophiæ Doctore, Sacrarum & Orientalium
Lingg. nec non Poët. Prof. Ord,
PATRONO & PRÆCEPTORE suo omni observantiæ cultu
prosequendo colendo,

Pro summis in Philosophia honoribus,

Quem
MAGISTERII GRADUM

vocant,
In Auditorio Philosophico

Ad d. 3 Mart. A. MDC CXI.

Publico & placido Dnn. COMMILITONUM examini submittit
JOH. WERNERVS REVTELIVS

Allendorffensis-Hassus.

MARB. CATT. Stanno KURSNERIANO.



THES. I.

DE Deo tanquam ente perfectissimo intellectus sive scientia, nisi summa ejus perfectio everti debeat, atque Deum bruto impetu agere dicatur, negari non potest.

THES. II.

Quod ipsum si non constaret velex eo, quod nos ejus facultatis nobis simus conscii; ex mundi mirabili dispositione fati apparet; Quicunque enim mundum non summa ratione, sed casu esse factum olim crediderunt, adeò sunt ab omnibus explorati, atq; insaniunt, ut jam nemo, nisi alienata mentis, sectæ illi assensum præbere possit.

THES. III.

Dicimus autem eam in Deo nil aliud esse, quam actum ejus simplicissimum & purissimum, quo omnia præsentissimè intelligit, & veluti unico aspectu & intuitu omnia lustrat & emetitur.

THES. IV.

THES. IV.

Non autem est ea in Deo per modum qualitatis aut habitus, vel tanquam cognitio realiter ab intellectu deducta ex præmissis, uti scientia est in nobis: sed est in Deo tanquam actus simplicissimus atque certa & evidens cognitio eadem cum essentia ipsius, sicut ipsi in sunt reliqua attributa.

THES. V.

Si enim scientia Dei non esset eadem cum essentia ejus, Deus haberet se per modum subjecti perfectibilis respectu scientiæ, à qua perfici posset, & sic imperfectus foret; quod est absurdum.

THES. VI.

Dicimus autem primò, Deum cognoscere se ipsum suasque perfectiones tanquam objectum palmarium: Cui enim est scientia perfectissima, ille quoque debet habere cognitionem perfectissimi: jam verò non est perfectissimus, nisi Deus ipse: Ergo sui non potest non habere cognitionem:

THES. VII.

Positò jam, Deum se ipsum omnesque suas perfectiones perfectissimè cognoscere, sequitur ipsum etiam voluntatem suam cognoscere

cognoscere: cumque omnes creaturæ de-
pendeant ab eius voluntate, eas etiã omnes,
quas vult extra se, ignorare nequit.

THES. VIII.

Certum ergò est, Deum cognoscere res
non tantum præteritas & præsentis, sed etiã
futuras sive necessariò sive contingenter sic
dictas. Quod ultimum inde probamus:
quia Deus res contingentes, quæ nunc exi-
stunt præsentis, aut novit antequam exti-
terunt, aut non; si prius, thesis nostra ma-
net firma; si posterius, postea eas cogno-
vit, & sic factus est ex non sciente sciens,
id quod cum eius immutabilitate pugnat.

THES. IX.

Imò, Deum omnes res possibles, et-
iam eas, quas nunquam voluit producere,
per potentiam suam ad omnia se extenden-
tem, cognoscere asserimus.

THES. X.

Ex jam assertis satis patet, Deum etiam
cognoscere impossibilia, hoc est, ordini à
se statuto requegnantia, secundum illud vul-
gare: Oppositorum eadem est scientia.
Sed dũ possibilia positivo conceptu appre-
hendit, negativè se habet circa impossibilia.

